

I. N. J. C.

DISSERTATIO ACADEMICA,  
PRÆCIPUAS CAUSSAS DEFE-  
CTUUM, QIBUS LABORAT  
**HISTORIA FENNICA,**  
LEVITER ADUMBRANS,

QUAM

*Consensu Amplissimi SENATUS Philosophici  
in Regia ad Auram Academia,*

Sub PRÆSIDIO

M<sup>AG.</sup> JOHANNIS  
BILMARK,

HIST. & PHIL. PRACT. PROF. REG. & ORD.

*Publico examini modeste subjicit*

GABRIEL HABERFELT,  
*SATACUNDENSIS.*

IN AUDITORIO MAJORI DIE XXIX NOVEMB.  
ANNI R. S. MDCCCLXVI.

H. A. M. S.

---

ABOÆ

Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

*VIRO Admodum Reverendo atque Praclarissimo,  
D:no ISAACO POLVIANDER,  
Ecclesiarum, quæ DEo in Mouhjerswi & Suodenniom col-  
liguntur, PASTORI dignissimo.*

*VIRO Spectatissimo,  
D:no JOHANNI ÅHMAN,  
Geodesæ Commissionis Finlandie dexterimo.*

*VIRO Doctissimo atque Clarissimo  
D:no HENRICO BRANDER,  
Scholæ Triv. Bicerneburg. COLLEGÆ Superiori dexterimo.*

*FAUTORIBUS HONORATISSIMIS*

*Sicut que mihi Vobiscum intercedit cognatio ad ob-  
meritis meis longe majora, ad gratias agendas ha-  
seram, non talem, qualem volui, sed quam præsens re-  
vunculi Propensissimi, traderem, Dissertationem hanc Hi-  
volui. Serena ipsam suscipite fronte; sic ego vicissim  
tate calidissimis defatigare precibus nunquam intermit-*

*NOMINUM*

*Cultor  
GABRIEL*

*VIRO Admodum Reverendo atque Praetorissimo,  
D:no ANDREÆ ENEBERG,*

*Animarum, quæ DEo in Saſtmola colliguntur,  
PASTORI meritissimo.*

*VIRO Plurimum Reverendo atque Clariſſimo,  
D:no ELIÆ FONSELIO,*

*Sacri cœtus, qui in Ikalis colligitur, SACELLANO laudatissimo.*

*VIRO Plurimum Reverendo atque Docifſimo,  
D:no DANIELI ROTHOVIO,*

*Ecclesiæ, quæ in Ikalis floret, ADJUNCTO vigilantissimo.*

*& AVUNCULIS BENIGNISSIMIS.*

sequium; ita que in' me contulisti beneficia, spe &  
bendasque memet devinciant. Quocirca ut pietatis tes-  
rum mearum habitus ferat, Vobis, Fautores & A-  
flicricam, rudi Minerva elucubratum, Vobis consecratam  
DEum O. M. pro Vestra Vestrorumque perenni felici-  
tam. Permansurus dum vixero

**VESTRORUM**

**beneſſimus  
HABERFELT.**

VIRO Plurimum Reverendo atque Clarissimo;  
**D:no JOHANNI HABERFELT,**

SACELLANO in Mouhjerfwi vigilantisimo.

PARENTI INDULGENTISSIMO.

**P**ost multas curas illaxit tandem festiva illa & quotidianis fere votis a me anxie expetita dies, qua mihi licet obsequium & devotissimum, quo TE, Parens Optime, prosequor, animum publice declarare. Post DEum O. M. TIBI, Parens Indulgentissime, debeo non solum quod vivam, sed etiam quod bene vivere incipiam. Ut hoc adsequerer, Tu teneram adeo educationis ac progressuum meorum in litteris gessisti curam, ut majorem a benignissimo Parente exspectare haud fas fuit. Nullis propterea laboribus aut sumtibus pepercisti, & quamvis Fortuna TIBI munera sua parcus concederit; TUA tamen, qua maxima in me est, benignitas fecit, ut necessaria nunquam desideraverim. Tu imprimis favori tribuendum est, quod primum hoc specimen meum Academicum in publicam edere lucem queam; quod, tenue licet & grandibus Tuis in me meritis nequaquam par, ut sereno excipias vultu, summopere oro atque contendeo. Quod huic desit, supplebit prolixa offerentis pietas, cui nihil prius nihil posterius erit, quam ad Supremum Numen assidua nuncupare vota, velit TE, Parens Optime, quam diutissime sospitem atque omni felicitatis genere cumulatissimum conservare! Ita ex intimo cordis affectu vovet

PARENTIS INDULGENTISSIMI

*obedientissimus Filius*  
**GABRIEL HABERFELT.**



חַדְרָה אֲרָנוֹת חַדְרָה

I. N. J. C.

## PRÆFATIO.



Quemadmodum sol gratissimo suo lumen noctis tenebras dissipat, simulque efficit, ut homines negotia sua comode atque late exequi possint; ita quoque Ratio nostra, postquam litterarum ope naturalem ignorantiae caliginem disjecit, hoc præstat, ut homines miram agendi facilitatem in muneribus tantum non omnibus experiantur. Quamobrem nulla fere gens fuit, quæ non litteris magnum statuit pretium, atque ignorantiam, ut labem, dignitatis suæ fastigio prorsus indignam, exuendam judicavit. Bene enim CICERO: *Omnis trahimur & ducimur ad cognitionis & scientiæ cupiditatem, in qua excellere*

A

pub-

pulchrum putamus; labi autem, errare, nescire & de-  
 cipi, & malum & turpe ducimus a). Duo autem  
 præcipue sunt, quæ scire gestimus, cum quæ admi-  
 rabilia sunt, tum etiam quæ ad bene beateque vi-  
 vendum necessaria existimamus. Cum enim illa sen-  
 sus nostros imprimis adficiant, totam quoque atten-  
 tionem nostram ad se quasi rapiunt. Quocirca cum  
 operibus Divinis nihil admirabilius nobis occurrat,  
 omnes etiam homines per illorum considerationem ad  
 aliquam de DEo Ejusque perfectionibus cognitionem  
 pervenerunt. Deinde fortia magnorum virorum faci-  
 nora, sive in togâ sive in sagô patrata, admiratione no-  
 stra adeo sunt digna, ut eorum narratione aliorum  
 aures pascere & demulcere libenter soleamus. Quod  
 imprimis valet de Majoribus nostris; qui, si egregiis  
 inclauerint factis, eadem ad seros transmittere nepo-  
 tes impense annitimus, tum ut homagium quoddam  
 illorum virtutibus præstemus, tum etiam ut eorum  
 exemplis alii excitentur ad id, quod honestum, quod  
 reipublicæ & sibi utile fuerit. Proinde apud natio-  
 nes tantum non omnes, immo in ipsa Barbarie re-  
 perire licet aliquot sive Historias sive traditiones, li-  
 cet aliæ aliis sollicitiores fuerint in eisdem adornan-  
 dis ac conservandis. Quod ad Historiam Fennicam  
 attinet, dolendum omnino est, magnos in ipsa de-  
 prehendi defectus, quos ne quis ita interpretetur,  
 quasi Patriæ nostræ defuerint Viri præstantissimi, qui  
 labori pepercerint in monumentis Fennicis sedulo  
 conquirendis; operæ pretium nos facturos existimavi-  
 mus, si præcipuas horum defectuum causas in præ-  
 sen-

senti exhibeamus opella, eosdemque tales esse ostendamus, qui humanæ industriae sphæram ferme superent. Sicut autem in his defectibus exponendis nostros imprimis defectus acumen Lectoris distinguet; ita ipsum enixe rogatum volumus, ut imbecillitatem ingenue faslos, sensu humanitatis, humaniter sublevet.

(c) Vid. Lib. I. de Off. iii Cap. VI.

### §. 1.

**A**ntequam caussis defectuum, quibus laborat Historia Fennica, exponendis nos accingimus, erunt nonnulla præmittenda de diversis subsidiis, quibus diverse gentes gravius inusta memoriæ vulnera ad pristinum reducere vigorem sategerunt ante illud tempus, quo litteræ apud eas introductæ fuerunt. Prælucente igitur Historia tam Sacra quam Profana adfatum constat, quod primi terrarum incolæ vel ingentes erexerint lapides (a), vel saxa in altos congesserint cumulos (b); quæ singularia opera sicut humanam industriam valde negotiosam prodiderunt, ira quoque differendi materiam præbuerunt; liberis atque nepotibus scilicetantibus, quem in finem taliæ monumenta essent constituta, & patribus rursus occasionem nec non alias res notatu dignas liberaliter exponentibus (c). Quare etiam SANCHONIATON memoriæ prodit, informia saxa fuisse antiquissima monumenta apud Phœnices (d) Multi quoque ejusmodi indices tam aliorum quam veterum Gothorum,

in favillis urnulisque suis jam pridem conditorum famam & præcipua fata custodiunt (e). Nonnunquam etiam proceræ atque umbrosæ arbores (f) vel exstructa altaria (g) memoriae subsidia atque egregiorum factorum propagines esse voluit antiquitas. Præterea populis imprimis orientalibus atque meridionalibus solemnne fuit, lapides variis figuris hieroglyphicis exornare; quibus vialis, seri nepotes, etiam absque interpretibus, intelligerent, quid memoria dignum ibidem contigerat (h). Interdum quoque consultum duxerunt veteres, loci, in quo aliquid contigit, nomen mutare, ita ut nova appellatio memoriam singularis eventus refricaret (i). Græcis insuper atque Romanis non infrequens fuit, festa solemnia & anniversaria in memoriam rerum gestarum & laudes Heroum instituere; quæ hilaria continuo explicabant rugas, quas per longam annorum seriem contrahere memoria potuisset (k). Enimvero sicut hæc monumeta satis sumtuosa fuerunt, ita tam gentes modo memoratae quam aliæ sverunt cantilenas quasdam in honorem defunctorum componere, quæ cum & verbis & simul numeris aures vividæ juventutis muicerent, hæc non solum easdem tenuit, sed & pari alacritate ad suam derivavit posteritatem (l). De antiquissimis quoque Chinensibus constat, quod ope funicularum, variis nodis distinctorum, non tantum multa sibi in memoriam revocaverint momenta, verum etiam his subsidiis suam cognitionem cum aliis communicare potuerint (m). Quibus similia de hodiernis etiam Peruvianis nobis tradunt Auctores (n). Atque his

his rudibus monumentis dum traditiones orales animam quasi inspirarunt, factum est, ut memoria rerum præclararum ægre omnino aboleretur. Non e quidem diffitemur, quin vetustissimis narrationibus successu temporum multæ fabulæ subinde innecti potuerint; sed quæ tamen hyperbolica sua ratione non raro distinguuntur, præsertim si ad probabilitatis regulam exigantur. Post tot ambages introductæ tandem fuerunt litteræ, quæ inter alia istud habent commodi, ut plures in rerum gestarum notitiam perveniant, atque adeo ætas, quæ ferri duritiem, adamantum firmitudinem & pæne dixerim naturæ robur corrodit, ad perennem litterarum tenorem quodammodo hebescat.

- (a) Vid. Gen. XXVIII: 18. DIODOR. SICUL. Libr. IV. p. m. 259, 267. (b) Vid. Gen. XXXI: 46. nec non STRABON. Geogr. Lib. III. p. m. 202. (c) Vid. JOSUÆ Cap. IV: 6, 7. DIODOR. SIC. Libr. V. p. 388. (d) Conf. de FOURMONT Reflexions Critiques sur les Histoires des anciens peuples Lib. II. p. 7. (e) Vid. GÖRANSSONII Bauit passim. (f) Vid. JOSUÆ XXIV: 26. JUDIC. IX: 6. (g) JOSUÆ XXII: 26, 27, 28. (h) His figuris imprimis delectabantur veteres Ægyptii, ut ex Historia constat, immo talibus etiamnum utuntur Æthiopes, Vid. Histoire Generale des Voyages Tom. II. p. 468. (i) Vid. Gen. XXVIII: 19. Idem quoque præstant Americani, vid. Histoire des Incas Tom. I. p. 19. 214. 338. (k) Exod. XII. 26. 27. nec non VIRGILII Aeneid. Libr. V. v. 45. seq. (l) Vid. imprimis STRABONIS Libr. I. p. 34. & STURONIDIS operi non solum nomina Poëtarum Gothicorum circa finem adjecta, sed etiam variæ cantilenas eidem immixtas reperimus. (m) Vid. MARTINI Histoire de la Chine Lib. I. p. 21. n) Vid. AGOSTÆ Histoire des Indes Lib. VI. Cap. VIII. p. 285.

## §. II.

Hic ita præmissis, causas nonnullas defecuum modo memoratorum nunc expendemus. Primam itaque harum merito constituimus ipsam Linguam Fennicam Concessit nobis DEus O. M. linguam, ut ope nobilissimi hujus membra in aliorum animos quasi influere, eosdemque affectus sive lætos sive tristes, qui nos vel demulcent vel exagitant, apud eos excitare possimus. At soni, cogitationum nostrarum vehicula, qui circa rerum initium simili modo ab omnibus efformabantur, post confusionem Babelicam diversam admodum ~~exi-~~  
~~er~~ apud diversos acceperunt; unde tanta linguarum discrepantia, quanta fere nunc per universum orbem animadvertisitur (a). Mittimus ceteras, & tantum observamus, quod cum pleræque per Europam linguae aliquid commune inter se habeant, Lingua Fennica adeo a reliquis & qua sonum & qua verborum significaciones discrepet, ut peculiaris omnino ipsa sit indolis. Natales quidem lingua nostra videtur debere Linguae Hebraicæ, sed post tot sæculorum decursum nec matri suæ admodum similis est hæc filia. Ab aliis vero linguis finitimaram gentium magis discrepat nostra, nec alia fere cum his communia habet vocabula, quæn quæ per mutua commercia sequiori ævo in illam sensim sensimque irrepserunt. Cum itaque nec Fenni nostri litteras quasdam antiquissimis habuerint temporibus, quibus res notatu dignas consignare potuerint, nec exterius linguam ipsorum inteligerent, adeo ut illorum facta suis immiscere rebus gestis potuerint, fieri profecto aliter non potuit, quam ut fal-

laci memoria multa exciderint, eaque obliterata fuerint vestigia, quæ hodie, si per temporum injuriam liceret, non absque voluptate renovaremus. Quid? Quod lingua nostra ceteris populis adeo fuerit incognita, ut sicut his propria gentis nostræ appellatio *Suomalainen* fuerit ignota, ita nostri ex consuetudine cum aliis primum didicerunt, se ab exteris nuncupari *Fennos* (b).

(a) *Varia in hanc rem egregie differit Auctor libri Origine des loix, des moeurs & des Sciences Tom. I. p. 2. 3. 4.* (b) Quare exteri majores nostros appellerint *Fennos*, mirum forte alicui videbitur, sed cuius ratio hæc est, quod totus hic regionum orientalium tractus a nostris diuisus fucrit *Vane-ma*, unde *Vanner*, pro qua voce Germani & ad horum imitationem alii formarunt *Fennos*.

### §. III.

Alteram caussam merito ponimus horridam ignorantiam, quæ antiquissimis temporibus totum ferme Septemtrionem involvit, & cujus tenebræ in Finnia nostra spissiores fuisse videntur, quam in vicina Svetbia. Cui quidem opinioni haud repugnat, quod TACITUS al quam Majorum nostrorum habuerit notitiam, quum illos ita describat, ut a crassissima barbarie ipsos parum abfuuisse indicet. Taxat enim miram inter eos feritatem, foedam paupertatem, simulque innuit, ipsos frequentia exercuisse latrocinia, omnibusque praesidiis, quæ ad commodam vitæ rationem pertinent, penitus fuisse destitutos (a). Quæ si quis dubitet, an satis vera sint, mecum quæso consideret, quod pleraque instrumenta Oeconomia Got-

thicis adhuc insignita sint nominibus; manifesto, ut opinor, indicio, Majores, qua fuerint simplicitate, plerique ignorasse, antequam ex vicinis populis & ipsa & nomina accepissent. Quumque adeo inter extrema quævis vitam traherent, nemo admodum mirabitur, quod parum curaverint, quid majores eorum gesserint, aut quibus factis ipsi inclaruerint. Qui enim in hæc inquiret, primoribus saltem labris litteras degustasse oportet. Immo cum TACITUS fateatur, vetustissimos Fennorum nullos habuisse penates, sed incertis, more Lapponum nostrorum, vagatos fuisse sedibus, quæ, quæso, momenta vel sui vel locorum relinquerent, quum nusquam fere talibus implicarentur casibus, quorum memoriam vel ipsi vel nepotes illorum recolere cuperent. Verum quidem est, quod disciplinarum aurora quædam sæculis VII, VIII, & IX per Svetiam, Norvegiam atque Holmgardiam emicuerit, partim per expeditiones militares in Meridionales atque Orientales Europæ partes suscepitas, in quibus Græcorum & Romanorum nepotibus spolia litterarum abstulerunt Scandiani, partim per jaeta tunc Religionis Christianæ fundamenta, sed cuius radii Finlandiam nostram nondum illuminarunt, sive quod Majores nostri hæc adminicula aversarentur, sive quod exteræ gentes cognitionem suam cum nostris ob disparitatem linguarum communicare non potuerint. Immo circa adventum Suethiæ Regis ERICI Sancti in oras nostras adeo Majoribus suis similis fuerunt nostri, ut ex TACITI etiam descriptione haud difficulter agnosci possent.

a) Vid. TACITI German. Cap. XXVI.

## §. IV.

Porro ipsa etiam vivendi ratio priscorum Fin-  
landiæ incolarum haud parum ad defectus cogni-  
tionis de illis Historicæ contulit. Ex TACITI enim  
Germania constat, quod ad imitationem Scytharum  
Nomadum incertis erraverint sedibus, atque rei im-  
primis pecuariæ fuerint intenti. Ad quam vivendi  
rationem ipsos invitabant partim irrigua, quæ heic  
sunt, loca, partim etiam gratissima inter colles &  
montes pascua. Quamobrem otia impense amarunt,  
aliorumque possessiones temere non turbarunt, verum  
ingruentes forte aliunde vexationes potius effuge-  
runt, quam in irrequieta capita illas retorserunt. Cum-  
que adeo in castris stipendia mereri non admodum  
curaverint primi Finlandiæ cives, nec monimenta  
quædam aut tropæa sibi constituerunt, quippe quæ ut  
fortitudinis quidem, ita simul infelicitis aliorum con-  
ditionis haud dubia esse solent argumenta. Quam  
pauca, quæso, de Scythis jam nobis constarent, ni-  
si cum Persis aliisque gentibus variis implicati fuissent  
bellis. Atque idem valere putamus de Majoribus no-  
stris, antequam Tattarorum patuerint incursionibus.  
Nec sic tamen quis existimet, horum sortem, quod fa-  
ma rerum ab iis gestarum per orbem non increbresce-  
ret, deteriorem fuisse; siquidem hic non incom-  
mode applicari queant, quæ de Assyriis, postquam  
quietam, præ bellica & pugnaci Majorum, elegissent  
vitam, egregie differit Quidam ex Recentioribus: "Les  
vertus de la vie douce & paisible ne frappent pas de  
même, que l'éclat des talens militaires. L'Histoire ne se

charge guères que des conquêtes & des revolutions célèbres, sur tout lorsque les Historiens parlent de pays, qui ne les intéressent point. Nous ne connaissons l'Historie des anciens peuples, que par les écrits des Grecs. Les Grecs, peuple inquiet & remuant, n'estimoient que les actions belliqueuses<sup>(a)</sup>. Idem omnino de Romanis atque Gothis valet, qui ut pacem, tamquam ignobilium animarum refugium proposuerunt; ita Mavortia tantum robora digna censuerunt, quæ perpetuis litterarum monumentis viverent.

(a) *Vid. Origine des loix, des Arts & des sciences Tom. III. p. m. 8. & 9.*

### §. V.

Esto autem, dicat quispiam, quod nulla monumenta militaria in nostris reperiantur oris, sunt tamen alia, quæ Ceres, Pluto & Neptunus tempore potissimum pacis sibi erigenda curant; quæ ritur proinde eur nec talia apud nos inveniantur, quæ saltem de ingenio veterum incolarum aliquod præberent testimonium? Respondemus, quod hic defectus partim ignorantiae partim incuriae primorum civium sit tribuendus. Deinde cum hæc monumenta ejus sint indolis, ut pleraque eorum extorserit ipsa necessitas & inopia, Majores autem nostri omnes fere res, quæ ad vitam sustentandam requirantur, a Natura acceperint, sylvis aves & variam venationem, lacubus & fluminibus pisces omnis fere generis, pecudibus lac & pelles, nec non terra opimas meses illis subministrantibus<sup>(a)</sup>; factum est, ut inclarescendi adminicula diu neglexerint. Bene enim jam olim THEO-

CRI-

**CRITUS:** Απονία, Διόφαντος, πόνα τὰς πηγὰς ἐγένετο. id est:  
*Paupertas, o Diophante, sola excitat artes* (b). Et ne  
 quid dissimilem habitationum raritas (c), quæ etiam-  
 num satis magna est in nostra Patria, olim vero  
 maxima fuit, ad defectum Historiæ Fennicæ haud  
 parum contulit. Quum enim parciores tunc interce-  
 derent conversationes inter incolas, ipsæ traditiones, si  
 quas eximias a majoribus acceperint, non potuerunt  
 non e memoria nepotum sensim deleri. Tadet enim,  
 eisdem personis easdem res semper referre, quarum  
 imaginatio per crebram eorundem factorum repeti-  
 tionem hebescit potius, quam intenditur; dum con-  
 tra ipsa augetur, quoties aliis atque aliis res gestas  
 exponimus, quorum ut adfectus in vultu legimus,  
 ita quoque horum sententiæ acciunt memoriam, si-  
 ne his adminiculis obtorpescerent.

(a) Hinc Tacitus: *Ia beatius arbitrantur Fenni, quam in-*  
*gemere agris, illaborare domibus, suas aliorumque fortunas spe me-*  
*tuque versare: securi adversus homines, securi adversus Deos, rem*  
*difficillimam adsecuti sunt, ut illis ne vo'o quidem opus sit.* (b)  
*Idyll. XI: 21.* (c) Quid enim admittuit cum Historias scribere,  
 cum habitarent hinc illinc homines oppido pauci, & negotiis  
 suis domesticis, venationibus, punctionibus, aliisque ad rem  
 familiarem curandam pertinentibus officiis tantum dedici, apud  
 quos quid rerum aliis in locis gereretur, plane ignorabatur,  
 ut loquitur RUDBECKIUS *Atlant. Tom. I. Cap. VI. §. II.*

### §. VI.

Hactenus ex Majorum nostrorum vitæ ratione  
 aliisque momentis caussas quasdam defectuum, qui-  
 bus Historia Patria laborat, exposuimus; juvat nunc  
 ex ipsa indole primorum incolarum, quod talia mo-

nimenta eidem minus convenerint, ostendere. De origine Fennorum multa multi disputant; nobis autem proxime ad veritatem accedere videntur, qui ab Israelitis, in captivitatem Babyloniam abductis atque per Assyriæ civitates dispersis, eorum natales arcessunt. Hoc posito; ut notum adsumimus, quod Israëlitæ, qui dum in Palæstina floreabant, ad idololatriam fuerunt pronissimi, postquam vero ex captivitate modo dicta redierunt, tanto odio prosecuti sunt monumenta & figuræ, a gentilibus factas, ut MATTATHIAS ne ferre quidem potuerit exemplaria Legis Divinæ, quæ habuerant Ethnici, propterea quod externe tantum figuris quibusdam essent ornata (a). Qui genius si horum Israëlitarum nepotes in Septentrionem profectos animaverit, sicut verisimile est, ratio haud obscura patet, quare nulla signa posuerint Majores nostri; quamvis hæc contra ingravescentem forte falsum DEI cultum cautio impedire non potuerit, quominus ad supinam ignorantiam & hinc ad superstitiones Idololatricas sensim fuerint prolapsi.

(a) Vid. PRIDEAUX in Connec<sup>t</sup>. Part. II. Lib. III. p. 143.

### §. VII.

Præterquam quod commercia hanc mortalibus præstent utilitatem, ut abundantiam rerum, quæ ad sustentationem & commoditatem vitæ pertinent, promoteant, homines etiam cum hominibus conjungunt, adeo ut per hoc societatis vinculum mutua augeatur industria viresque ingenii, velut ferrum cote acuitur, exerceantur. Per commercia etiam non solum disciplinæ in varias terras sunt introduc<sup>t</sup>æ,

& verum etiam Religio Christiana gentilismi tenebras sensim dissipavit. Licet autem Finlandia aquis sit admodum irrigua, pluresque habeat portus satis oportunos, ab ipsa natura formatos, diu tamen commercia hic fuerunt neglecta. Peculiare omnino est, quod STURLONIDES passim perhibeat, naves variis mercibus, interdum valde pretiosis, oneratas tam in Suethiam quam in Holmgardiam se contulisse, nusquam vero doceat easdem portus nostros subiisse, quamvis Finlandiam quotannis fere præternavigaverint. Non equidem nos fugit, quod Aboa, Metropolis Magni hujus Ducatus, fœderi Hanseatico olim fuerit innexa, aut quod commercia hic tum lâte floruerint; sed venustior hæc rerum facies post introductam Religionem Christianam demum apparuit. An vero Aboæ vel in aliis Finlandiæ locis stativa sua habuerint exterorum mercatores temporibus gentilismi, nondum explorare potuimus. Quæ cum ita sint, rursus patet, cur antiqua Patriæ nostræ fata ignorantiae populo admodum sint involuta.

### §. VIII.

Quod Sueci, Dani & Norvegi dum expeditionibus orientalibus se quondam accingerent, tam per Livoniam quam per Finlandiam catervatim transierint, partim ex situ horum locorum, partim ex Historiarum Gothicarum monumentis dilucide colligi potest. Quare nec dubitari potest, quin aliquot Fenni in societatem militiae etiam tunc venerint. Sicut autem hi robustis gaudebant corporibus, nec animi

illorum magnis rebus gerendis erant impares; verisimile est, quod in exteris terris multa eademque egregia ediderint facinora. Attamen hi Majores nostri cum commilitonibus Gothis plerumque qua nomen confundebantur; unde factum est, ut quid Gothis quidve Fennis speciatim sit tribuendum, plane ignoremus (*a*). Causae vero cur de Fennis seorsim non loquantur annales, sunt, partim quod minima Fennorum fuerit portio, partim quod nulli fere inter nosros fuerint principes, qui triumphi decora anxie expeterent. Immo quamvis sequiori tempore exercitibus Regum nostrorum frequentes interfuerint, rarissima tamen eorum sit mentio, donec in expeditionibus gl. mem. Regis GUSTAVI ADOLPHI horrido *Hakapelorum* nomine, quod hostes, ut enses & tormenta exhorreunt, Germanis innotuerint (*b*).

(*a*) Vid. *JUSLENII Vindictas Fennorum p. m. 40.* (*b*) Vid. *PIERII WINSEMII Panagyr. ad Gustavum Adolphum p. 28.* De Fennis, qui expeditionibus Gothorum fuerint immixti varia tradit *STURLOIDES* in *HeimsKringla* passim; sed quæ singula justa persequi narratione instituti ratio non permittit,

### §. IX.

Id quoque tam nobis, quam aliis singulare obvenit, quod in Finlandia nulli omnino reperiantur vel Lapidès Runici vel colles sepulcrales, qui creperam quantumvis lucem Historiæ præferre solent. Cujus defectus rationem hanc reddunt nonnulli, quod ex institutis OTHINI talia monumenta, non alibi, quam in Patria Gothorum erigi potuerint. Sed ne-

nescio quis Apollo hanc in aures ipsis insusurraverit.  
 Æque nobis peculiare videtur, quod quum in Suetia  
 detur magna cipporum Runicorum multitudo, qui fata  
 demortuorum in aliis atque aliis locis strictim exhi-  
 bent, nullum tamen adhuc vidimus, in quo Fenniae  
 fiat mentio. Non equidem ignoramus, quod & *Au-*  
*sturvegiæ & Österlandiæ nomina in illis conspiciantur,*  
 quibus Patriam quoque nostram comprehensam fu-  
 isse constat, sed Finlandiæ appellatio nusquam legi-  
 tur, quamvis Holmgardiæ aliarumque vicinarum  
 regionum nomina in illis sint exsculpta. Quod tan-  
 to magis est mirandum, quum *Austurvegiæ & Öster-*  
*landiæ denominatio, quam Fennica, sit recentior,*  
 quippe hæc jam ante TACITI ævum invaluit. E-  
 sto autem, quod monimenta, modo memoratis si-  
 milia, apud nos olim fuerint; Monachi tamen, qui  
 crassissimam ignorantiam & huic innixam Hierar-  
 chiam Pontificiam pari ardore promovebant, ea-  
 dem penitus extirpanda curarunt, ne scilicet quæ  
 supereret tabula, qua ex superstitionum gurgite e-  
 mergere Majores nostri aliquando possent. Immo  
 cum Papa Romanus, SYLVESTER II. Legatis suis  
 in Svetiam missis injunxerit, ut vetera monumen-  
 ta partim destruerent, partim sibi submitterent(*a*);  
 dubium vix est, quin primi per Finlandiam Præco-  
 nes pari zelo suam fidem & observantiam Pontifi-  
 cibus probaverint. Denique quod ad Nummos at-  
 tinet, qui ex visceribus terræ apud nos interdum  
 effodiuntur, atque peregrinam indolem vel Arabi-  
 eam vel Britannicam luculentur produnt(*b*); ex illis

nihil fere, quod ad antiquitatem gentis nostræ illustrandam pertineat, colligi potest; cum dubium valde sit, an Majores nostri, vel Gothi etiam per has oras domum reversi, vel aliæ denique gentes eosdem secum attulerint.

(a) Vid. RENSTRÖMI *Dissert. Historia Sviogorbica deficiens & restaurata Part. I. p. 30.* (b) Vid. DIKMANNI *Tractat de Nummis veteris possit.*

### §. X.

Quamvis autem Runas Gothicæ aut his similes non habuerint nostri, harum tamen nomen adhæsit earminis generi, quo nostri etiamnum valde delectantur & quod Nuno dicitur. Sed notandum, quod pleraque hæc carmina prolixam non sapient canitatem, nec contineant Heroica quædam Majorum facta, sive in toga sive in sago patrata, quæ versibus præcipue mandare sverunt Gothi & alii populi; quin potius eximiæ hujus artis peritos, & in his Orpheum quendam Fennicum Wäinämönen a nostris dicatum, celebrent. Pollebat hic, ut in fabulis est, tanta industria in versibus pangendis, ut sævi etiam ursi ad illius cantum ferocitatis cristas deponerent, atque anterioribus pedibus sepi impositis modulamine ejus arrectas pascerent aures.

### §. XI.

Sicut commoda incommodis plerumque solent pensari; ita quoque gratissima nostra Finlandia varias subiit vices, quod inter duas bellicosissimas Nationes Gothos nimirum & Russos media sit. Non raro enim campus eorum Martius heic fuit, in quo mutuas

gnandi vires experiebantur, & ferociam non sine  
ingenti civium damno exercebant. Quod quidem  
adeo verum est, ut nonnulli in animum induixerint,  
Finlandiam dictam fuisse quasi *Fiendland*, *Terram ho-*  
*stilem*, vel quod Majorum nostrorum examina in-  
cursions in Suethiam saepius fecerint (*a*), vel po-  
tius, quod hostium insultibus ipsa valde patuerit.  
Quicquid autem hujus sit, verum est, quod Goths &  
Fenni sub primis Ynglingicæ Familiæ Dynastis & sa-  
pius deinceps armorum experimenta fecerint, & quod  
Suehiæ Rex AGNE, occiso Finlandiæ Rege FROSTO-  
NE magnaque civium multitudine prostrata, ingen-  
tem prædam hinc secum abduxerit (*b*). De ERICO  
etiam VICTORIOSO constat, quod juvenis magnas  
res in Finlandia gesserit, & sicut nova munimen-  
ta hic erigenda curavit (*c*); ita probabile est, quod  
antiqua haud pauca ferociæ ejus succubuerint. Ma-  
jor adhuc clades monumentis, quæ heic olim fuerunt,  
illata est in expeditionibus tam ERICI SANCTI, quam  
BIRGERI JARLI, qui ut Majores nostros ad Reli-  
gionem Christianam & officium reducere strictis  
gladiis voluerunt; ita ædes, propugnacula & quic-  
quid præsidium immorigeris præstaret, sollicite de-  
struxerunt. Quos ita passa est Historia Patria defe-  
ctus minoris omnino sunt momenti, si in conten-  
tionem veniant cum illis, qui per direptiones Rus-  
orum sequioribus temporibus contigerunt. Ex Hi-  
storia enim plus satis constat, quod nobis propiori-  
bus sæculis, Russi, occasione invigilantes, dum no-  
stri abessent exercitus, crebras in Fenniam fecerint

irruptiones, obvia quævis populati, codices quos-  
vis & acta secum abduxerint. Forte tamen maxi-  
mam documentorum jacturam circa initium hujus  
sæculi fecimus, quo Russi Fenniam in formam pro-  
vinciæ redegerant, urbes everterant, templa, quæ  
monumentorum apud nos solent esse phylacia, diri-  
puerant, vicos desolaverant, litteras & documenta sibi  
vindicaverant (*d*), adeo ut Musæ ad incitas plane essent  
redactæ. Cui non multo dissimilem tempestatem  
ante quinque circiter abhinc lustra rursus apud nos  
senserunt litteræ, salvis tamen, quod in magnis Rus-  
orum laudibus merito ponimus, & tectis & civibus.

(a) Vid. *WEXIONII Description. Suecia Cap. XXII.* (b) Vid.  
*STURLONIDIS Heimskr. Tom. I. p. 22.* (c) Vid. *STURLONI-  
DIS Tom. cit. p. 485.* (d) Vid. der kluge Hofmeister in addit. al-  
Imper. Muskovit. §. 13.

### §. XII.

Nemini mortalium contra fortunæ ludibria fa-  
tis cautum esse animadvertis, sed quæ tutissima  
habentur contra temporum injurias præsidia, occa-  
sionem sæpe præbent magnam faciendi jacturam.  
Abstulit enim una sæpe dies, quod sedula multorum  
sæculorum industria gnaviter concessit. Quid quæ-  
so laudabilius aut ingentius posteris potest esse acce-  
ptius, quam si monumenta litterarum, quæ Patriæ  
vices & Majorum fata continent, in uno aliquo  
eodemque illustri loco invenire, quoties vel neces-  
sitas vel curiositas pectora eorum sollicitet, possint?  
Hac igitur opera defuncti sunt Episcopi Aboënses,  
qui ut eruditio gloria fuerunt conspicui, ita in  
ar-

area Episcopali *Kastö* potissima documenta, quæ ad magnum hunc ducatum & Ecclesiam Fennicam pertinebant, congeserunt. Enimvero hæc arx sub Episcopo CONRADO BITZ, nescio quo casu an. 1439 oborto incendio penitus fuit deleta, simulque infelici cineri involuta sunt documenta, quæ in ædibus ejus, tanquam in Ducali archivo, fuerunt custodita<sup>(a)</sup>. Arcem desolatam restauravit quidem idem hic Episcopus, sed monumentorum jacturam resarciri non potuisse, agnoscit MESSENIUS<sup>(b)</sup>. Hoc tamen dispendio non obtorpuisse Episcoporum Aboënsium curam in conquirendis disjectis passim literarum tabulis, ex novo constat earum naufragio. Pedum enim Episcopale gerente JOHANNE PARGENSI, auspicio Daniæ Regis JOHANNIS I. subita in hanc urbem nostram facta est irruptio, qua non solum civitati atque templo Cathedrali magna damna sunt illata, sed libros meliores, a liaque cimelia diripiit & in Daniam secum deportavit OTTO RUTHIUS, iniquitatis ille filius, ut PAULO JUSTENIO audit<sup>(c)</sup>.

(a) *Vid. JUSLENII Aboæ veteris & Nova in Prefat.* (b) *Vid. Scandia illustrata Tom. X. p. 21.* (c) *Confr. NETTELBLAD. Schwedische Bibliothec Tom. I.*

### §. XIII.


Sed fuit in fatis, ut aliam adhuc cladem subirent litteræ & documenta, quibus Historia Fennica promoveretur. Scilicet dum imperium Svio-Gothicum gravissimis SIGISMUNDI & CAROLI IX contentionibus agitabatur, multi in hoc Ducatu fuerunt, qui partibus Sigismundi impense servarunt. Hos inter eminuit CLAUDIO FLEMMING, quem Gubernatorem Finlandiæ constituerat Sigismundus. Hic vero adfictas Domini res restituturus, contractis copiis in Ostrobothniam penetrat, atque clavigeris Rusticorum exercitibus in paroecia Ilmola An. 1597 disjectis, omnia acta & documenta, quæ conquirere potuit, sedulo collegit, collecta-

que secum in meridionalem Fenniae partem retulit, atque in prædio Jordan prope urbem Raum custodienda curavit, ubi pluribus arcis ex asseribus confectis inclusa An. 1710 integræ adhuc conspiciebantur. Quæ deinceps subierint fata; an in hostium venerint potestatem, vel sicut atque tineis corrupta fuerint, nondum explorare potuimus<sup>(a)</sup>. Quicquid sit, ex ingenti hoc apparatu satis concludi potest, quod tot dispersita monimenta atque cimelia ad defectum Historiæ Fennicæ plurimum contulerint.

(a) Vid. JAC. WIDMANNI Observ. Hist. M. 5.

#### §. XIV.

Sed littora jam prospicimus, ideoque cymbam nostram ex obscurœ pelago, cui illam commisimus, in portum subducimus. Te prius B. L. enixe rogantes, velis benigne adspicere causas has defectuum, quibus laborat Historia Fennica, quæ tenuis, qualis nostra est, industria detegere potuit. De cetero animitus voventus, avertat Deus O. M. a Patria dulcissima quosvis defectus, ut de perenni ejus flore & nos & seri nepotes sibi gratulari queant!



AUCTORI DISSERTATIONIS PRÆSTANTISSIMO,  
Amico atque Conterraneo Honoratissimo.

**E**st multum fateor rerum cognoscere causas,  
Defectusque stylo posse notare probo.  
**Q**ueis scateant Patriæ nostraे monumenta, lacunas  
Monstrat HABERFELTI pagina docta satis.  
**G**ratulor ingenium, studium gratorque secundum,  
Quod, precor, excipiant præmia lauta brevi!

ELIAS ALCENIUS.